



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

I. Deus malo bonum opponit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

scriptis illud semen reperitur sit, quod caput ei sit contritum. (a)

IV. Sicut ex malis moribus bonæ nascuntur leges; sic hæresibus Catholicæ veritatis dogmata stabiliuntur, & clare apparet esse illa dogmata æterna, & super æterno principio fundata. Antiquus ille hostis religionem Christianam funditus delere cogitabat; sed toto erravit cælo, rot Novi Mundi populis ad eam tunc primum adjunctis. Et quemadmodum Syracusis aer nunquam ita nebulosus esse fertur quin solis radij semel aut iterum videantur: sic Ecclesia Catholica frustra tenebrarum Principe (b) ejusque satellite sive stella de cælis decidua Luthero se se cum fumo suo abyssali interponentibus, agnata sibi & nativa claritate radios quam late patet mundus, de se spargere nunquam cessavit. (c) Et sicut aurum igne molitur, non frangitur; purgatur, non consumitur, uti nec usu: sic Ecclesia omnibus illis persecutionibus & hæreseon incendijs multo pulchrior emerit, (d) quam temporis ei affricuerat longinquitas, deterfa rubigine. Jam diabolus totam Germaniam reti suo inclusam habere se putabat, sed eo rupto, (e) major pars evasit.

V. Horum aliqui pisces, quem Glanum Latini vocant, imitati sunt. ut enim hic hamo inverso admofo & cibo degustato, salvus abire: sic illi extremis labris percepto Lutheranæ doctrinæ gustu, ubi sub ea nihil nisi meram, quidquid lubet faciendi, licentiam, & earum rerum quæ tot jam sæculis in honore fuerunt, contemptum latere deprehenderunt, (f) ab ea abstinendum sibi rati, quamprimum refugerunt. Alij devoratis esca & hamo, Scolopendræ exemplo, omnia intranea quoque evomerunt donec hamum egressissent; ij scilicet qui pro salutis via perditionis semitam ingressos se, adeoque jam ad præcipitium pervenisse animadvertentes, uti Wicelij, Staphili &c. tandem errore agnito & abjecto, ad mentem & Catholicæ Ecclesiæ unitatem redierunt. Soli fere illi quorum Deus venter est, quique forte feminam aliquam miseram incestarunt, firmiter apostasiæ adhærescunt, sex hominum & opprobrium Mundi; sive ut S. Joan. loquitur in Apocalypsi sua (g) *Homines qui non habent signum Dei in frontibus suis.*

VI. Germaniam quidam totam Lutheranam appellat. Quam recte, infra dicetur. Ut enim in præcedentibus 4 libris Hæreseos in ea ortum & mirabiles, velut nobilissima & amplissima provincia in triumphum ducta progressus ostendimus; sic in sequentibus ejusdem decrements ac ruinam, quæ sensim appropinquat, exponemus. Nam veluti torrens momento temporis excrescit, & alyco egressus, im-

petu suo obvia quæque abripit, paullatim dein pluvia cessante subidet, & rarecentibus aquis alveum fere siccum relinquit: sic hæresis postquam ad summum pervenit fastigium, paullatim jam descendere & ad interitum vergere incipit; cum prædictum sit loco citato Apocal. istas Locustas non nisi mensibus quinque annorum scilicet cruciaturas Ecclesiam, quod tempus ad Annũ 1667. fere pertingit, sic ut non solum sperare, sed cotto statuere debeamus, Catholicam Ecclesiam, veterem illam & gloriosam Bellatricem: (h) uti alibi à nobis appellatur, plenas de hostibus suis victorias tandem reפורaturam, adeoque multo majores vires post assultum hunc recollecturam. Quod si quæ restant adhuc reliquæ, commiseremur potius quam meruimus. Ipsi Lutherani instantem suæ doctrinæ interitum hariolantur, ac præcipue is qui Lutheranismi Restaurator fuit. Sed videamus jam cælicus missa ad destruendam hæresin auxilia.

(a) Gen. 3. (b) Ephes. 6. 12. (c) Matth. 5. 14. (d) 1. Pet. 1. 7. (e) Ps. 115. 16 (f) Ulenberg in Vita Luth. Passim. & Luth. ipse in Captiv. Babylon. & libert. Christiana &c. (g) cap. 9. (h) Cantic. 9.

ORIGO SOCIETATIS JESU, firmissimi contra hæreses valli.

CAPUT SECUNDUM.

ARGUMENTUM.

- I. Deus malo bonum opponit.
- II. De Ignatio Lojola, Societatis Jesu Auctore.
- III. Is Romam profectus, multis superatis difficultatibus, Societatis suæ confirmationem impetrat.
- IV. Socios ad omnes Christianomen proficentes populos dimittit.
- V. Origo nominis Jesuitarum.
- VI. Ex eorum Societate omnis ambitio exclusa.

Quemadmodum Natura communis hominum patens, & cui etiam minima vitæ nostræ momenta curæ sunt, serpentes è cavernis suis, ubi hyemais asperitas mille nodis contortos & implicatos eos continuit, ante præterepe non patitur quam fraxinus eis inimicissima florere incipiat, ut contra venenatos morsus antidotum inde nobis parare queamus; nec prius ejusdem arboris florem decutit quam illi jam in lætibus suis se absconderint: (a) sic Naturæ auctor, & Pater communis, nihil magis quam hominum salutem desiderans, nunquam ab infernali

sode

(a) Gesnerus, Aldrovandus, Plinius &c.

fede hæresin ad inficiendam terram erumpere permittit, quin eodem tempore salubrem aliquam plantam produxerit, cujus succo contra pestiferum ejus venenum uti ac præservare nos possimus. Sed apertius, & sine metaphora loquamur. In eo admirabilis Dei providentia elucet, quod quanto hæreses magis invaluerunt, tanto fortiores Antagonistas excitavit contra Albigenes, (a) quorum reliquia adhuc extant, Deus beatorum illud par S. Dominicum & S. Franciscum misit, utrumque magnum magnæ religiosæ familiæ conditorem, quorum ope & ægrotæ animæ sanarentur, & ceteræ à contagione præservarentur. Certe omnes auctores unanimi consensu prodiderunt, à duobus his Christianitatem ab interitu vindicaram. Deus ajunt, voluit, ut sub Innocentio innocens nasceretur, qui sponsa sua innocentiam defenderet: Et alius qui ab illorum ævo non procul absuit, ac ipse nihil aut parum religionis habuit, Nisi Christiana religio, inquit, à S. Francisco aut S. Dominico in pristinam integritatem fuisse restituta, jam dudum plane esset extincta. Hi enim duo paupertate & vitæ Jesu Christi imitatione, eam cordibus hominum rursus insculperunt, in quibus omnino fuerat obliterata. Duo hi pauperes Innocentio Pontifici in visione quadam apparuerunt, D. Joannis Lateranensis Ecclesiam, quam in somnio ille ad ruinam inclinatam viderat, manibus suis sustentantes.

Sic eo tempore quo Manichæorum & Pelagianorum hæresis Mundum tenebris involvit, à Deo præclara illa Ecclesiæ lumina accensa sunt, S. Ambrosius & S. Augustinus, qui errantibus facem prælucere, & Ecclesiam perpetuo lumine illustrarent. Sic idem B. Cyrillum Nestorio, B. Hieronymum Joviniano, S. Athanasium, S. Basilium, utrumque Gregorium, in Oriente, in Occidente S. Sylvestrum, S. Martinum, S. Hilarium Arrio ejusque sectatoribus, qui magnam Regum, Principum & Episcoporum partem laqueis suis irretierant, opposuit. Hi cælitus tum missi Aesculapij languenti atque adeo animam agenti Catholicæ Ecclesiæ salutare pharmacum propinarunt, ac salutem restituerunt. Eodem plane modo eo tempore quo Lutherus abjecto cucullo ex optimo genere hominum nempe Religiosorum ordine decidens, ut stella non se tantum, sed alios quoque contra Deum & Ecclesiam armavit, Deus ex altera parte ex deteriore hominum genere nempe militari hominem excitavit, qui deposito sago, religiosum habitum assumeret. Hic ille est quem sub nominis Jesu vexillo Deus oblectæ suæ civitati in subsidium misit, ut eam non solum ab in-

fidij & stratagematis hostium contraque eorundem assaultus defenderet, verumetiam in hostes ultro irrueret, machinas eorum corrumpere, propugnacula dejiceret, cuniculos everteret, hostibusque depulsis profugos intra muros Ecclesiæ ab eis desertos reduceret, & ex persecutoribus defensores, ex hostibus redderet cives.

Hoc feliciter præstitit Ignatius Loiola, tam nobilis & validi exercitus, qui per totum terrarum orbem in manipulos dispersus, sub Jesu nominis vexillo hæresi continuum bellum facit, & Christianum nomen ad extremos usque terræ limites profert, dux & primus imperator. Anno MDXXI. Lutherus D. Petri Sedi & Vicario WORMATIÆ sese tandem resolvit publicè coram Imperij Confessu maximo quod hæresim amplecteretur, dicens se nulli Concilio acquiescere vel Papa nisi Solus scripturus. (b) Ibi igitur post minores prolationes contra Ecclesiam ei nefarium bellum indixit ac paulo post mense junio cum dæmone, ut ipse scribit (c) congressus ei cedens falsus est non esse Sacerdotium nec sacrificium in Ecclesia Christi eodem anno Ignatius mense junio Francorum tormentis Pampilonæ verberatus vulneratusque in lectum doloris dejicitur, & lectis de imitatione Christi: & S. S. libellis conversus ad meliorem vitam, S. Petrum tamquam patronum & præcipue venerari cœpit & experiri. Ille D. Petri Vicarium invidiæ suæ atramento scædum in modum deformabat; hic eximio carmine seu cantico divinas eius laudes exornabat quod quidem Ignatij primum omnium fuit opus: omitto cætera ex vita Lutheri & Ignatij acta actis opponere, velut opus grande illud solum innuo, quod hoc diviniæ tam sapientiæ quam omnipotentæ non vulgare sit opus, quod in hac immensa mundi familia inimicas sibi que mutuo infensas creaturas nasci vult, ita tamen, ut si opus, ab una contra alteram remedium peratur ad hominis utilitatem, & diviniæ gloriæ manifestationem. Sic videmus Lutheranorum factionem & Jesu societatem uno fere eodemque tempore extitisse, finibus plane contrariis; illos ad devastandam; hæc ad defendendam & amplificandam Ecclesiam. Et utrique in una quidem, sed contrariis plane radicibus prognati familia, fructus etiam plane diversos ac contrarios pepererunt. Societatem illam quis non dicet auxiliarem esse manum à caelo contrariorum Senacharibum submissam? quam etiam firmiter sperandum

(a) Vita S. Dominici. Annal. Eccles. (b) Vlenberg Via Luth. Cap. 6. num. 3. Bzovius in Annal. Surius &c. (c) Lib. de missu Angulari Serarius de Magistro Lutheri &c.